# JACOBI COMITIS ACAMI ... EPISTOLA IN QUA NONNULLA AD SANCTOS...

Giacomo Acami

Digitized by Google

# JACOBI COMITIS ACAMI

# *DE*

# SANCTIS PAPIENSIBUS EPISCOPIS

# *EPISTOLA.*

Digitized by Google

Digitized by Google

33

# JACOBI COMITIS ACAMI

AD VIRUM CLARISSIMUM

ITALIÆ SACRÆ CONTINUATOREM

# P. FAUSTUM

A S. JOSEPH

SCHOL. PIAR. SACER. ET SAC. RIT. CONGR. CONSULTOREM

# *EPISTOLA*

IN QUA NONNULLA

*AD*

SANCTOS PAPIENSES EPISCOPOS

SPECTANTIA

PROPONUNTUR ET ILLUSTRANTUR,

Nec non ad diſcernenda a Spuriis & Apocryphis Acta Martyrum Sincera & Selecta inconcuſſæ inſeruntur Regulæ.

*SUB AUSPICIIS*

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. D.

JOSEPHI ALEXANDRI

FURIETTI

SACRÆ CONGREG. CONCILII

A SECRETIS.

*ROMÆ MDCCLV.*

EX TYPOGRAPHIA PALLADIS

*Superiorum Facultate.*

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIME
ET REVERENDISSIME DOMINE

Ecce ſecundo venio ad Te, Præsul Amplissime. Cogitanti mihi cui nam hoc Opuſculum nuncuparem, ſtatim venit in mentem Dominatio Tua Illuſtriſſima, quæ litteris promovendis ſemper inſudat, & protegendis miri-



Digitized by Google

fice delectatur. Exiguum ſane Opus meum, ſed labor eſt in tenui; in eo enim & Chronologia reſtituitur, & Sanctitas in primis Papienſibus Epiſcopis vindicatur. Macte virtute, intaminatis fulges honoribus, Urbe & Orbe celebraris; & ego in clientelam tuam jam adſcitus, illectuſque ſapientia, integritate, juſtitia, quibus vel Romanis Civibus ſpectabilior eſſe dignoſceris, hoc aliud Opuſculum nomini Tuo nuncupandum putavi

Dominationis Tuæ Illuſtriſſimæ.

Romæ Idibus Junii MDCCLV.

*Humill. addictiſs. & obſequentiſs. famulus*

Jacobus Acami.

ITALIÆ

# ITALIÆ SACRÆ CONTINUATORI

JACOBUS ACAMI F.

CUM pro tua humanitate, Vir Clariſſime, mandaveris mihi, ut ſi quid in Diſſertatione tua *de Papienſibus Epiſcopis* offenderem, quod aut veritati minus conſonum foret, aut legibus Critices inveniretur adverſum, notarem diligenter, ut collatis inter Nos amice conſiliis, omnia ad veritatis lineam revocarentur; juſſis ergo tuis obtemperans, ſeduloque perpendens Diſſertationem tuam omnigena eruditione refertam, nihil ferme in ea deprehendi, quod validiſſimis Sacræ Antiquitatis non innitatur fundamentis, quodque diligentio-



Digitized by Google

ris Chronologiæ rationibus adamuſſim non reſpondeat. De hoc igitur præſtantiſſimo Opere tuo, quo Ughellium *Italiae Sacræ* Scriptorem quandoque a vero aberrantem merito ſugillas; quandoque a nonnullis noſtri ævi Scriptoribus injuſte laceſſitum, cenſoriaque virgula notatum defendis & ſequeris; quandoque vero deficientem in Epiſcoporum texenda ſerie auges & ſupples; de hoc, inquam, præſtantiſſimo Opere tuo Tibi gratulor, mihi gaudeo. Nihil ſane optabilius fieri unquam poſſet Viris Hiſtoriæ noſtræ ſtudioſis, quam ut Opus iſtud *Italiæ Sacræ*, quod Hiſtoriographorum manibus ſæpe terendum eſt, ſtudio ac labore tuo rurſum prodiret in lucem auctius & emendatius. Faxit itaque Deus humanæ vitæ Servator, & Pater luminum, ut ad umbilicum perducas tantum Opus, Litteratorum hominum utilitati quam maxime accomodatum: Noſque interea Deo Optimo Maximo pro tua valetudine, utque Te in annos plurimos ſit conſervaturus, fundemus preces; gratias tibi quoque acturi tempore ſuo,

Digitized by Google

ſuo, quo Opus deſideratiſſimum publici juris feceris. Paucula tantummodo in præfata Diſſertatione tua notanda velim, quæ, ni fallor, maturiori indigent examine, & caſtigata in veritatis trutina forſitan non ſtabunt. Parcat igitur tenuitati meæ humanitas tua, ſi nonnulla, quæ mihi negotium faceſſunt, in medium ſim prolaturus, ut recto judicio tuo, quæ ſunt probanda probes, quæque improbanda, libere improbes. Non enim animo carpendi Scripta tua, quæ mox ſum dicturus, congeſſi, ſed ut Tuis obtemperarem juſſis, quibus id me omnino facturum voluiſti, ut magis magiſque illuceſceret veritas. Animadverſiones itaque meas æqui bonique conſulas velim.

Primò, videtur non eſſe ineluctabile argumentum quo uteris numeris IV. & V. ad probandum unicum fuiſſe Criſpinum Ticinenſem Epiſcopum, non triplicem in diverſa tempora diſtributum, ut volunt Ticinenſes, & Ferrarius; quæque de Primo, & Secundo refert Ferrarius ipſe, optimè convenire

Cri-

Criſpino hujus nominis Tertio. Ais enim: *Quæ de primo Criſpino referuntur a Ferrario in ejus vita, vel veritati non videntur eſſe conformia, vel de Sancto Criſpino Tertio ab Ennodio narrantur in vita Sancti Epiphanii, ejuſdem Sancti Criſpini Diſcipuli .... a Sacerdote Chriſtiano, & quidem omnibus cognitiſſimo, non modo Templa, ſed & Urbem ipſam* (Ticini) *tanto ſtudio ornari potuiſſe, viis ejus hortatu lapidibus ſtratis, egregioque Ponte Ticinum ſuperimpoſito, funeſtiſſimis illis Sæculi Tertii temporibus vix fidem invenient: Sæculo autem quinto* (quo floruit Sanctus Criſpinus Tertius) *id fieri potuiſſe nemo negabit ... De Sancto Criſpino Secundo eadem occaſio ſuppetit dubitandi* (an ſcilicet a Tertio ſit diſtinguendus). *Quis enim facile ſibi perſudeat, immaniſſimis illis Diocletiani & Maximiani temporibus, quibus Chriſtiani in ſpeluncis & cavernis latitare tuti non poterant, vel Cathedrale Templum extitiſſe Ticini, vel ſacellum ab hoc Sancto Criſpino in eo conſtrui & dicari potuiſſe, vel alia Templa in honorem aliorum Sanctorum Martyrum ædi-*

Digitized by Google

*ædificaſſe*? Hucuſque verba tua. Verum quidni potuerint Sancti Criſpini, Primus nempe, & Secundus Templa & Sacella ædificare Ticini Sæculo Tertio? Cum ab anno ducenteſimo decimo ſeptimo ad ducenteſimum quinquageſimum tertium, quo diem obiit extremum S. Criſpinus Primus, non ſemel reſtituta fuerit pax Eccleſiæ per Alexandrum, & Valerianum Auguſtos, ceteroſque Imperatores, qui ab anno 217. ad 253. rerum potiebantur: quo ſane tempore libere potuere Chriſtiani Deo ſuo Templa ædificare. Eſto veriſimile non ſit, Sanctum Criſpinum Primum Tertio nominis Chriſtiani Sæculo Urbem Ticinenſem ornaſſe, Pontem ædificaſſe, viaſque publicas ſtraviſſe lapidibus; cum jus Principum, quibus cura hæc ſemper demandata fuit, id facere prohibuerit privatis hominibus: poſſemus tamen dicere, Sanctum Criſpinum hujus nominis Primum hortatum fuiſſe Chriſtianos illos ab Ethnicis Magiſtratibus ad ſternendas lapidibus vias publicas, Pontemque ædificandum Ticini dama-

mna-

mnatos, ut in bonum publicum adlaborarent alacrius; eo quia ſocii paſſionum Chriſti momentaneum & leve tribulationis heic tullerantes, æternum gloriæ pondus operarentur in ſemetipſis. Teſte enim Baronio in notis ad Martyrolog. Rom. ad diem 16. Febr.[1] *damnabantur Chriſtiani etiam ad alia Opera publica, ut ad fodiendam arenam, ad lapidicinas, & alia, ut eorum Acta teſtantur*. Sic Sanctus Clemens Primus in ſolitudine Urbis Cherſonæ trans mare Ponticum relegatus, duo millia Chriſtianorum, qui eruendis ſecandiſque marmoribus Trajano imperante fuerant damnati, ad exantlandos pro Chriſto labores, ut cœleſtibus donarentur præmiis, hortatus eſt Sanctiſſimus Pontifex: id conſtat ex ejuſdem Actis incerto Auctore ſed fere ſynchrono græce conſcriptis, ut viſum eſt Allatio[2]; quæ quidem Acta græce & latine poſtmodum edita ſunt a Cotelerio *in Patribus Apoſtolicis*. Sic Sanctus Cypria-

1 Nota f.
2 Allatius in lib. *de Simeonibus* pag. 112.

Digitized by Google

prianus Nemeſianum, Felicem, Lucium, Liteum, cæteroſque Martyres in metallo conſtitutos per epiſtolam, ut vere Paſtorem decuit, ſolatus eſt. En aurea cedroque digna Sancti Cypriani verba eoſdem Martyres alloquentis in epiſtola 77.[1]. *Quod autem fuſtibus cæſi prius graviter & afflicti per ejuſmodi pœnas initiaſtis confeſſionis veſtræ glorioſa primordia, execrenda nobis iſta res non eſt. Neque enim ad fuſtes chriſtianum corpus expavit, cujus eſt ſpes omnis in ligno. Sacramentum ſalutis ſuæ Chriſti ſervus agnovit. Redemtus ligno ad vitam æternam, ligno provectus eſt ad coronam. Quid vero mirum ſi vaſa aurea & argentea in metallum, ideſt, auri & argenti domicilium dati eſtis, niſi quod nunc metallorum natura converſa eſt, & loca quæ aurum & argentum dare ante conſueverant, accipere cœperunt. Impoſuerunt quoque compedes pedibus veſtris, & membra felicia ac Dei Templa infamibus vinculis ligaverunt, quaſi cum corpore ligetur & Spiritus, aut aurum veſtrum ferri*

1 S. Cyprianus epiſt. 77. editionis Stephani Baluzii p. 150.

Digitized by Google

*ferri contagione maculetur. Dicatis Deo hominibus & fidem ſuam religioſa virtute teſtantibus ornamenta ſunt iſta, non vincula; nec Chriſtianorum pedes ad infamiam copulant, ſed clarificant ad coronam. O pedes feliciter vincti, qui non a fabro, ſed a Domino reſolvuntur. O pedes feliciter vincti, qui in itinere ſalutari ad Paradiſum diriguntur. O pedes in hoc Sæculo ad præſens ligati, ut ſint ſemper apud Dominum liberi. O pedes compedibus & traverſariis interim cunctabundi, ſed celeriter ad Chriſtum glorioſo itinere curſuri. Quantum vult hic vel invida crudelitas, vel maligna nexibus vos ſuis & vinculis vos teneat, cito a terris & pœnis iſtis ad Cœlorum regna venietis. Non fovetur in metallis lecto & culcitris corpus; ſed refrigerio & ſolatio Chriſti fovetur. Humi jacent feſſa laboribus viſcera, ſed pœna non eſt cum Chriſto jacere. Squalent ſine balneis membra ſitu & ſorde deformia; ſed ſpiritaliter intus abluitur quod foris carnaliter ſordidatur. Panis illic exiguus; at non in ſolo pane vivit homo, ſed in ſermone Dei. Veſtis algen-*

*tibus*

Digitized by Google

*tibus deeſt; ſed qui Chriſtum induit & veſtitus abundanter & cultus eſt. Semitonſi capitis capillus horreſcit; ſed cum ſit caput Viri Chriſtus, qualecumque illud capat deceat neceſſe eſt quod ob Domini nomen inſigne eſt. Omnis iſta deformitas deteſtabilis & tetra gentilibus quali ſplendore penſabitur! Sæcularis hæc & brevis pœna, quam clari & æterni honoris mercede mutabitur, cum ſecundum beati Apoſtoli vocem transformaverit Dominus corpus humilitatis noſtræ conformatum corpori claritatis ſuæ!... Quis non libenter & prompte calicem ſalutis accipiat, quis non appetat gaudebundus & lætus in quo aliquid & ipſe Domino ſuo retribuat, quis non pretioſam in conſpectu Domini mortem fortiter & conſtanter excipiat, placiturus ejus oculis qui nos in congreſſione nominis ſui conſtitutos deſuper ſpectans, volentes comprobat, adjuvat dimicantes, vincentes coronat, retributione veritatis ac pietatis paternæ remunerans in nobis quidquid ipſe præſtitit; & honorans quod ipſe perfecit?* Similiter & verba iſta Ferrarii in Catalogo Sanctorum

Digitized by Google

rum Italiæ ad diem VII. Januarii [1] Criſpinus Primus *cum prædicationis officio prohibitus fungi non poſſet, totum ſe ad exornandam Eccleſiam, & Urbem contulit ... Urbem cœnoſam lapidibus ſternendam, Ticinique amnis ripas ponte lapideo jungendas curavit*; hæc, inquam, verba commode interpretari poſſunt hoc modo, Sanctum videlicet Criſpinum Primum hortatum fuiſſe Chriſtianos in Opus publicum damnatos, ut ſpem habentes in Crucis ligno, & Sacramentum propriæ ſalutis agnoſcentes in Chriſto, a quo propter labores ærumnaſque illas incorruptam accepturi erant gloriæ coronam, corde impavido lætaque fronte exſudarent labores, ſternerent lapidibus vias, pontemque ædificarent. Templa verò & Sacella ab eodem Sancto Criſpino ædificari potuiſſe Ticini, quid prohibet eo maxime tempore quo pace donata eſt

1 Extant apud Bolland. Tom. I. Januarii p. 356. eadem habet & Bernardinus Saccus Hiſtoriæ Ticinenſis lib. 6. cap. 8. & 9. *Criſpino igitur hujus nominis Primo Hortante populus Ticinenſis lapideum pontem in Ticino fluvio ædificavit.*

Digitized by Google

eſt per Ethnicos Principes Chriſtiana Religio? Quidni potuerit in eadem urbe Cathedrale Templum extare, Diocletiani & Maximiani temporibus? Teſte quidem Euſebio [1], Diocletiano & Maximiano imperantibus, diuturna pace gaviſa eſt undique Chriſtiana Religio; ipſiſque conniventibus Imperatoribus innumera a Chriſtianis extructa fuere Templa & Altaria cunctis in Urbibus atque Provinciis Romanæ ditioni ſubjectis: iſtamque pacem reliquit Eccleſiæ Diocletianus uſque ad annum Imperii ſui vigeſimum, Chriſti vero tercenteſimum ſecundum [2]; intra quod tempus floruit Sanctus Criſpinus Secundus. Potuit ergo Criſpinus iſte ante motam a Diocletiano & Maximiano in Chriſtianos perſecutionem Templa & Sacella ædificaſſe Ticini; potuit & ibi Cathedrale templum extare.

Reſpondeo ſecundo, duo eſſe diſtinguenda tempora, ante motam ſcilicet, & poſt motam in Chriſtianos perſecu-



1 Hiſtor. Eccleſ. lib. VIII. cap. I. & in Chron.

2 Ut videre eſt apud Muratorium *Annal. d'Ital. Tom. 2. Par. 1. an* CCCII.

ſecutionum. Poſt motam perſecutionem nequidem in cavernis & ſpeluncis latitare potuiſſe tutos Religionis noſtræ Cultores indubium prorſus eſt: ante motam vero ab Imperatoribus Ethnicis perſecutionem, non ſolum Chriſtianæ Religioni libere deſervire permittebantur Chriſtiani omnibus notiſſimi, verum etiam publicis fungi muneribus, magiſtratibus, dignitatibuſque in ſuprema quoque Imperatorum Aula, iiſdem Principibus apprime cari deprehenduntur. Id ſatis evincunt plurimorum Martyrum Acta, & præſertim Sanctorum Juliani ac Sociorum apud Bollandianos ad diem IX Januarii, his verbis concepta [1]. *Ante tempus perſecutionis, Imperatores Diocletianus & Maximianus quemdam Priorem Civitatis unice diligebant, quia de genere Carini Imperatoris deſcendebat. Hic defunctus Chriſtianus cum uxore ſua ſeptem filios Chriſtianos ſuperſtites reliquit, quos Imperatores retinentes amore Patris eorum, juſſerunt eos ſine aliqua perſecu-*
*tione*

1 Cap. VIII.

Digitized by Google

*tione Chriſtianæ Religioni deſervire*. Prior iſte Civitatis, & ſeptem ejus filii a Diocletiano, & Maximiano unice dilecti, licet Chriſtiani cogniti, in Aula tamen verſabantur Imperatoria. Id etiam evincunt Acta S. Sebaſtiani Martyris apud eoſdem Bollandianos ad diem xx. dicti menſis[1]. *Imperantibus*: inquiunt Acta, *Carino, Diocletiano, & Maximiano, Diocletianus in Urbe erat cum Maximiano, Carinus autem erat cum omni exercitu in partibus Galliarum poſitus: et ejus intuitu lenta perſecutio Diocletiani circa Chriſtianos eſſe cæperat; quia Carinus habebat aliquos amicos, quos hujus tituli profeſſio decorabat*. En Chriſtiani cogniti; ſed amici Cæſaris, ac in ejus conſuetudinem dati. Cum itaque Sanctus Criſpinus Primus ante motam in Chriſtianos perſecutionem floruerit; creatus eſt enim Epiſcopus Papienſis anno Chriſti 216. deceſſitque anno 253.[2] Alexandro, Valeriano, ac utriſque Philippis Imperantibus, qui



1 Cap. XVIII.
2 Ughell. tom. I. pag. 1078.

Digitized by Google

omnes Chriſtianam Religionem ſingulari favore ac benevolentia ſunt proſequuti. Quorum prior in Noſtros adeo propenſus erat, *ut in ejus Familia*, teſte Euſebio[1] *plerique fuerint Chriſtiani notiſſimi*. Valerianus vero initio Principatus ſui, inquit idem Euſebius[2] tanta humanitate ac benevolentia Noſtrates complexus eſt, ut nequidem ipſi Principes, qui palam Chriſtiani fuiſſe dicebantur (uterque nempe Philippus) ullo unquam pacto illi quiverint comparari: *totaque ejus Familia piis abundabat hominibus, ac Dei Eccleſia eſſe videbatur*. Quid mirum igitur ſi Sanctus Criſpinus Primus, Sacerdos Chriſtianus omnibus notiſſimus rerum publicarum, annuentibus Magiſtratibus Ethnicis, adminiſtrationem amplexus, Urbem Ticinenſem lapidibus ſternendam, pontemque injiciendum curavit?

Neque opineris, *Templum Cathedrale* non fuiſſe in uſu apud Veteres; ſed recentius eſſe Sæculo V. ut quidam ſine ta-

1 Euſeb. lib. VI. Hiſtor. Eccleſ. cap. 28.
2 Idem lib. VII. cap. 10.

Digitized by Google

tabulis & teſtibus male opinati ſunt ſeveriores Critici, quos abunde refellit Henricus Valeſius *in Notationibus ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam Euſebii* [1]. Nam *Cathedra*, inquit Ducangius in Gloſſario, *eſt ſedes ſeu ſeſſio honeſtior, & auguſtior Epiſcoporum in Eccleſia, ceteris aliorum Preſbyterorum ſedilibus excelſior ... Cathedrarii autem dicuntur Epiſcopi, cum ad Cathedram Epiſcopalem promoventur, quod cum conſecrarentur, in Eccleſia Cathedra collocarentur*. Ex quibus ſic argumentor. Eccleſia Cathedralis illa ſemper fuit, quæ Cathedram Epiſcopalem continet: Atqui ipſis etiam Apoſtolorum temporibus fuerunt Cathedræ Epiſcoporum in Eccleſiis: Ergo fuerunt etiam Apoſtolorum temporibus Eccleſiæ Cathedrales. Minor probatur ex Tertulliano *in libro de Præſcriptione Hæreticorum cap.* XXXVI. *Percurre*, inquit Tertullianus, *Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſident*. Non elevat ergo neque imminuit Acto-



[1] pag. 119. editionis Pamelii.

Digitized by Google

rum Ticinenſium de Sancto Criſpino Secundo auctoritatem mentio Templi Cathedralis. Suſpicor tamen in Actis genuinis S. Criſpini Secundi (quæ utinam liceret inviſere) *Templum Cathedrale* non legi; ſed Ferrarium conſueto loquendi modo Eccleſiæ ſeu Templo addidiſſe *Cathedrale*, non eſſet improbabile.

Secundo, Ughellium carpis, Vir Clariſſime, ex eo quod afferat, Sanctum Dalmatium in Epiſcopali ſede Sancti Criſpini Secundi ſucceſſorem immediatum, coronatum fuiſſe martyrio ſub Maximiano Imperatore, nempe anno Chriſti 307. *Atqui*, inquis, *id fieri non potuit. Nam abdicatum a Maximiano Imperatore Imperium anno* 304. *conſentiunt omnes*. Aſt licet ab an. 304. ad 312. non amplius Maximianus, ſed Galerius & Maxentius Imperii habenas tenuerint, attamen his quoque temporibus perſecutionem, quæ ſub Diocletiano & Maximiano incœperat, perſeveraſſe ſub horum Principum nomine veriſimillimum eſt. Siquidem

Ga-

Galerius cum adhuc Cæſar eſſet, auctor fuit Diocletiano, ut in Chriſtianos ſæviret; deinde Galerius ipſe Supremam Poteſtatem adeptus, incredibilem adverſus eoſdem exercuit crudelitatem, teſte Lactantio *de Mortibus Perſecutorum* [1]. Maxentius quoque etſi initio Imperii ſui pacem Eccleſiæ reſtituerit, ut legere eſt apud Euſebium [2], nihilominus poſteaquam Collegam ſibi aſcivit Imperii Maximianum jampridem hoc honore privatum, Eccleſiam Dei & ipſe perſequutus eſt vigore legum a Maximiano primum Imperatore in Chriſtianos latarum; unde Lucifer Calaritanus [3] Maxentium, & Neronem ſimul jungit, eoſque uno nomine *Perſecutores* appellat. Notandum itaque, quod quando novus Imperator Chriſtianos fuerit perſequutus, & aliunde nova in Chriſtianos ipſos non evulgarit Edicta, perſecutio illa non nova, ſed præcedentis perſecutionis continuatio dicenda eſt, ut pluribus



1 Capp. IX. X. & XXI.
2 Hiſtor. Eccleſ. lib. VIII. cap. XIV.
3 lib. I. pro Athanaſio.

Digitized by Google

demonſtrat Ruinartius *Præfat. in Acta Martyr*. Galerius ergo & Maxentius Religionem Chriſtianam ſunt perſequuti, non nova edicta condendo, ſed præcedentia Diocletiani & Maximiani continuando; ideoque recte dici potuit, ſub Maximiano Imperatore paſſum fuiſſe Sanctum Dalmatium anno Chriſti 307. quo tempore imperabat in Italia Maxentius. Reponis Ughellio, perſecutionem ſub Diocletiani & Maximiani nomine perſeveraſſe diutius etiam poſt illorum abdicationem *in Oriente tantum, non vero in Occidente, & præcipue in Italia, ubi revocatis ab Imperatore Maxentio edictis anno 306. facta fuit in Eccleſia magna tranquillitas*. Verum & in Occidente, & in Italia pluribus annis poſt abdicatum a Diocletiano & Maximiano Imperium ſub eorum nomine perſeveraſſe perſecutionem facile tibi ſuadebis, ſi animum adjeceris ad ea, quæ paullo ſuperius retulimus ex Lucifero Calaritano, Maxentium videlicet non diu poſt adeptam Supremam Dignitatem, quam ſex annis

Digitized by Google

annis retinuit in Italia, Eccleſiam Dei fuiſſe perſequutum. Conſulendus hanc in rem etiam Euſebius: en ejus verba juxta latinam Henrici Valeſii verſionem [1]. *Maxentius qui Romæ tyrannidem arripuit, principio quidem fidei noſtræ profeſſionem ſimulavit.... Itaque ſubditis ſuis præcepit ut a perſecutione Chriſtianorum deſiſterent; fictam ſcilicet pietatis ſpeciem præſeferens, utque benignior multo atque humanior ſuperioribus Principibus videretur. Verum progreſſu temporis haudquaquam talem ſe rebus ipſis præſtitit, qualis futurus ſperabatur. Mirum eſt enim quanta hic nequitiæ affinitate & ſimilitudine* ( cum Maximino ) *Romanæ Urbis Tyrannum expreſſerit. Quam ob cauſam acerbius, ac vehementius quam ſuperiores Principes perſequi noſtros inſtituit... Neque enim per ullam Urbem iter unquam fecit, quin mulierum ſtupra, & raptus virginum in ea perpetraret. Atque hæc ex votis ipſi ſucceſſerunt, ſolis exceptis Chriſtianis, qui calcato mortis metu, tam violentam hominis*

 *tyran-*

1 Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. VIII. cap. XIV.

Digitized by Google

*tyrannidem deſpexerunt . Nam & viri ignem ac ferrum, clavorum ſuffixiones, beſtias, profundos maris gurgites, membrorum abſciſſiones ac peruſtiones, confixiones & effoſſiones oculorum, totius denique corporis mutilationes : ad hæc famem, metalla ac vincula perpeſſi, in his omnibus maluerunt pro vera pietate tollerantiæ ſuæ ſpecimen edere, quam rejecto Dei cultu ſimulacra venerari. Et Mulieres doctrina veræ fidei non minus quam viri roboratæ, aliæ eadem quæ viri certamina ſubjerunt, & æqualiter virtutis adeptæ ſunt præmia . . . Talis ac tanta nequitiæ copia uno eodemque tempore exuberavit, auctoribus duobus Tyrannis, quorum alter* (nempe Maximinus) *Orientem, alter* (nempe Maxentius) *Occidentem occupaverat.* Perſequutus eſt ergo & in Italia & in Occidente Chriſtianos non diu poſt adeptam Supremam Dignitatem Maxentius Imperator . An autem INITIO, vel PROGRESSU Imperii ſui paſſus fuerit Sanctus Dalmatius, id non ſcripſit *Ughellius* ; neque per conjecturam hæc falſitatis nota illi po-

teſt

Digitized by Google

teſt inuri. Jure ergo dici potuit, ſub perſecutione, quam nomine Maximiani proſequebatur Maxentius, coronatum fuiſſe martyrio Sanctum Dalmatium. Scripſit quidem Ughellius [1] anno Chriſti 307. paſſum fuiſſe Sanctum Dalmatium: nunquid ergo annus Chriſti 307. Imperii Maxentii *initium*, vel *progreſſus* dicendus erit? Ego quidem *progreſſum* potius, quam *initium* fuiſſe crediderim; eo quia a die 28. Octobris anni Aeræ Vulgaris 306. ad diem 27. ſive 28. Octobris anni 312. Rerum potitus eſt Maxentius ipſe: & ſic habita ratione ad Imperii ejus brevitatem, annus 307. *progreſſus*, non *initium* Imperii Maxentii dicendus erit. Hoc modo concordaret Ughellius cum textu Euſebii ſcribentis Maxentium Tyrannum *progreſſu temporis* in Chriſtianos omnes ſæviiſſe.

Præterea Diſſertationis tuæ n. VIII. maxime dubitas, ne Sanctus Epiphanius, qui a Boſſio, & Ughellio dicitur Pri-

1 Ughellius Italiæ Sacræ Tom. I. pag. 1078 n. XIII. Venetiis anno 1717. cura & ſtudio Nicolai Coleti.

Primus, unus & idem ſit cum Sancto Epiphanio Secundo Ticinenſi pariter Epiſcopo. Ad hoc enim evincendum advertis, *Sanctum Epiphanium Primum eum dici a Boſſio, cujus corpus in Cathedrali Hildeſeimenſi in Saxonia aſſervatur. Quod autem Hildeſeimum tranſlatum eſt Epiſcopo Ottuvino curante, fuit corpus Sancti Epiphanii Secundi, non Primi. Etenim cum S. Epiphanii ſepulcrum Ticini refoderetur ad ſacras ejus exuvias eo avehendas, repertum fuiſſe prope illud etiam Sarcophagum Sanctæ Speciosæ Sancti Epiphanii Secundi, non Primi ſororis, narrat ejuſdem Tranſlationis hiſtoria, anonymo Auctore Hildeſeimienſi coævo, & ut videtur, forte præſente conſcripta.*[1] Aſt quid inde, quæſo? Quia prope corpus Sancti Epiphanii repertum fuit Sarcophagum Sanctæ Specioſæ ſororis Sancti Epiphanii Secundi: Ergo illud erat corpus Sancti Epiphanii Secundi? illatio non videtur legitima. Nunquid hæc conſuetudo tunc temporis, vel ante in Eccleſia inviolabiliter viguit, ut prope ſe-pul-

1 Extat apud Bolland. Januarii Tom. 2. p. 364. & 378.

45

pulcrum fratris Sancti poneretur ſemper & Sarcophagum ſororis Sanctæ? Ego quidem hanc conſuetudinem in tota Antiquitate minime reperi: ſed plurima Sanctorum etſi non Affinium aut Conſanguineorum oſſa & exuvias vel in eodem ſepulcro, vel prope illud collocata fuiſſe invenio. Id enim palam fiet ex Vitis apud Anaſtaſium Bibliothecarium Bonifacii IV. Paſchalis I. Pauli I. Sergii II. aliorumque ſæculi VIII. & IX. Pontificum Romanorum, qui ex Cæmeteriis extra muros innumerabilium SS. Martyrum oſſa & exuvias in diverſas Urbis Eccleſias tranſtulerunt; aut prope ſub una eademque Urna & Altaribus non Affinium non Conſaguineorum ſacra tumulantes corpora. Idque factitatum etiam in aliis Urbibus legere eſt in hymnis Prudentii, in libris Gregorii Turonenſis, aliiſque Medii Ævi Scriptoribus, qui de Sanctorum Corporum Inventionibus, vel Tranſlationibus fuſius diſſeruere [1]. Potuit ergo corpus illud

1 Videſis Boldettum *Oſſervaz. ſopra i ſacri Cimiterj* lib. I. capp. XXII. & XIII. & Bollandianos paſſim.

Digitized by Google

illud Ticini repertum, & Hildeſeïmum tranſlatum, eſſe corpus Sancti Epiphanii Primi: Potuit & illud Sarcophagum eſſe Sanctæ Specioſæ Sororis Sancti Epiphanii Secundi.

Et hac dicta ſint præſertim contra Ughellium ipſum, & Bollandi Continuatores, qui trium Criſpinorum Acta in dubium vocare ſunt auſi. Cautius tamen ceteris loquutus videtur Ughellius, & mitius ſe geſſit Bollandianis Patribus. Is enim *in Epiſcopis Papienſibus* [1] ita diſſerit: *Sanctus Criſpinus hujus nominis Primus e Nigrorum nobili Familia, Papienſis, ad Patria ſedem provectus eſt anno 126. deceſſitque 253. die* VII. *menſis Januarii. Ejus ſacrum Corpus in Cathedrali conditum jacet. Breventanus, Spelta, Guallaque, hoſque ſequutus Ferrarius in Catal. narrant, hujus Sancti celebrari feſtum die* VII. *menſis Maii. Nos vero Boſſii Catalogum ſequemur. At vero cum prædicti Scriptores adeo diverſe computent annos, quæque multis annis inferior Criſpinus geſſit, huic adſcribant, me-*

1 Num. VIII. cit. edition.

Digitized by Google

*mecum ipſe quandoque ſum ſuſpicatus, de uno Criſpino illos fortaſſe duos feciſſe, tametſi ea de re ſuſpenderim judicium, detulerimque eam rem decidendam judicio meliori*. Et paullo inferius [1]: *Sanctus Criſpinus hujus nominis ſecundus patria Ticinenſis ad hanc eandem Sedem promotus eſt anno 275 die 30. menſis Octobris, ſepultuſque eſt in Cathedrali, in Sacello S. Cruci ab ipſo dicato atque conſtructo. Fertur ædificaſſe etiam Templum in honorem SS. Coſmæ & Damiani Martyrum, ſi tamen hic non confunditur cum Criſpino Epiphanii Anteceſſore; cum id tempus, quod tribuitur huic Epiſcopo, ob ſæviſſimam Diocletiani & Maximiani Imperatorum perſecutionem, haud ſatis videatur commodum Sanctis Martyribus ſtatuendis Aris & Templis*.

Bollandiani ſimiliter cum ad infirmanda horum trium Criſpinorum Acta omnibus contendant nervis, hæc habent ad diem VII. Januarii [2]: *Tres refert Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ*

1 Num. XII.
2 Tom. 1. pag. 356. num. 1.

Digitized by Google

*liæ Criſpinos Epiſcopos Ticinenſes, atque eorum Primum hoc die coli, Secundum, & Tertium die 30. Octobris. Sed, ut infra dicemus, Tertius Sancti Epiphanii deceſſor hoc* VII. *Januarii die colitur. Criſpini Epiſcopi & Confeſſoris meminerunt Bellinus, Maurolycus, Martyrologium Germanicum, neque exprimunt primuſne ſit an tertius. Molanus, Galeſinius, & Baronius in Notis, de Tertio, ideſt, Deceſſore & Magiſtro Sancti Epiphanii accipiunt, ut infra patebit. Martyrologium Gallo-Belgicum 2. Januarii S. Criſpinum Ticinenſem Epiſcopum refert abſque diſtinctione.* Et infra [1]: *Confuſa mihi videntur trium Criſpinorum Acta, meritoque ambigi poſſe an tres an duo ſolum ſtatuendi ſint, cum ipſe Ferrarius in novo Catalogo Sanctorum ad diem 30. Octobris duos ſolum recenſeat. Galeſinius quoque eo die illum coli exiſtimet, qui aliis eſt Tertius. Idem Galeſinus 5. Decembris iſta habet:* Papiæ S. Criſpini Epiſcopi & Confeſſoris, cujus multis in rebus ſpectata eſt doctrina & ſanctitas. *At de quo ea præcipue*

[1] Ibidem num. VI.

*pue accipi debeant , non ſtatuo* . Sed quorſum iſta ? quare Acta confuſa , dubia , ſuſpecta ? Quæ Breventanus , Spelta , Gualla , hoſque ſequutus Ferrarius Sancto Criſpino Primo, & Secundo adſcribunt , optime eiſdem Epiſcopis poſſunt aptari , ac cum eorumdem temporibus commode componi : cum uterque floruerit tempore quo pace donata eſt per Ethnicos Principes Criſtiana Religio , tempore quidem commodiſſimo Sanctis Martyribus ſtatuendis Aris & Templis . Si Diocletiano & Maximiano Imperantibus annno Chriſti 275. ad Ticinenſem Sedem evectus eſt Sanctus Criſpinus Secundus,iſtorum tamen Principum perſecutio incepit anno tantum 302. ut ſuperius oſtenſum eſt . Si Bellinus, Maurolycus , & Martirologium Germanicum , qui Sancti Criſpini Epiſcopi meminere , non exprimunt primu ſne ſit an tertius , argumentum negativum non probat ; cum poſſit eſſe Criſpinus alter nobis ignotus . Si Martyrologia peculiarium Eccleſiarum quædam 2. Januarii , vel 5. Decembris Sanctum Criſpinum

num Ticinenſem Epiſcopum referunt abſque diſtinctione, non propterea de trium Criſpinorum Actis foret ambigendum; eo quia Eccleſiæ quædam diem Depoſitionis, aliæ Conſecrationis, aliæ Tranſlationis, aliæ denique diem colunt, quo miraculum aliquod inſigne Sanctorum Epiſcoporum interceſſione ſunt conſequutæ [1]. Si Molanus, Galeſinius, & Baronius die VII. Januarii non Criſpinum Primum, ſed Tertium colendum putarunt, unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet: eorum enim licet veneranda, nullo tamen fulta Antiquitatis teſtimonio, ad infirmandam Actorum Ticinenſium de Sanctis Criſpinis Primo, & Secundo auctoritatem, non ſufficit opinio.

En igitur, Vir emunctæ naris, in Diſſertationem tuam *de Papienſibus Epiſcopis* animadverſiones meæ, quas Tibi humillime ſiſto, ſubjicioque; ut ſi for-

1 Videſis Baron. in notis ad Martyrologium Rom. ad diem 11. Jan. not. *b*. & 18. not. *a*. Paſchaſium Queſnel in append. ad s. Leonis opera tom. 2. Diſſertat. 1. pag. 351. meamque Apologiam pro Sacramentario ejuſd. s. Leonis part. 11. pag. 148. & ſeqq.

Digitized by Google

forte ſtylo paullo fuſiori fuerint exaratæ, parcas calamo, ſi obſcuriori, parcas ingenio; ſin autem Inſtituto tuo quoquomodo utiles viſæ fuerint, fruaris libentiſſime labore noſtro. Vale. Scribebam Romæ VI. Idus Octobris anno a Partu Virginis MDCCLIV.

*FINIS*

Digitized by Google

Ex juſſu Reverendiſſimi P. Joſephi Auguſtini Urſii Magiſtri Sacri Apoſtol. Palatii, legi Epiſtolam Clariſſimi Comitis Jacobi Acamii, in qua Reverendiſs. P. Fauſto circa difficultates quaſdam de Primis Papienſibus Epiſcopis reſpondet, quam cum doctam, eruditam, & Litterariæ Reipublicæ utilem animadverterim, publica luce dignam cenſeo.

Die 4. Junii 1755.

*Franciſcus Marianus*
*Bibliothecæ Vat. Græcus Scriptor.*

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſs. P.M.S.P.A.

*F.M. de Rubeis Patriarch. Conſt. Viceſg.*

---

IMPRIMATUR

Fr. Vincentius Elena Or. Præd. Reverendiſs. P. M. S. P. A. S.

Digitized by Google

Digitized by Google